

(§:) 16. (§:)

studere voluerit , an quod profsus mentem suam de eodem , ceu Scriptore antea laudibus cumulatissimo æquè ac omnibus notissimo , aperire supervacaneum duxerit ?

XXIX.

Novo *Curtio* quodam opus esse , hoc præcipue temporis articulo , videtur , qui Viatoriam **LEOPOLDO** Imperatori Romanorum Augustissimo augustioris sermonis Majestate gratularetur , quam Divinâ favente Gratiâ & valido Fœderatorum , speciatim Regis Poloniæ , auxilio , à Turca immanissimo Christiani Nominis hoste reportavit , dum VIENNAM novem hebdomadarum spatio miserè obfessam , die A. Mensis Septembbris , ceu Relatiōnes habent hebdomadariae , feliciter liberavit : eam uti diem PROTUS nomine suo in Calendariis quibusdam exornat , ita SUPRO i.e. supero , T. i.e. Turcam omne literali continet felicissimo . Faxit DEUS Principum Stator & Vindex , ut **LEOPOLDUS** , quod literarum per PELLO Duos transpositio pulchrè insinuat , uno jam hoste DEI gratia feliciter pulso , de altero quoq; èadem ad- jutus , feliciter pulso tandem triumphet !



(2.)

DE

Q. CVRTII RVFI
Historici
ÆTATE,
in Ordine , uti vocant , Circulari
PRÆSIDE
RECTOR E h.t. **MAGNIFICO**
DN. M. MAGNO DANIELE
OMEISIO.

Ethic. & Eloq. P. P. Celeberrimo ,
diffutabit

HERMANNVS BREVERVS,
Riga-Livonus.

d. 27. Octobr. A.R.S. cīc ioc LXXXIII.

ALT DORFI,
Literis Henrici Meyeri , Univerfit. Typographi.

B. C. D.

De

Q. CVRTII RVFI
Historici
ÆTATE.

TH. I.

Vo ævo, & qvo sub Imperatore Romano Q. Curtius Rufus Res gestas Alexandri M. literis mandaverit, omni non caret dubitatione. Locos duos producunt palmarios ex ipso Curtio in hujus ætatem inquirentes Critici. Quorum locorum alter legitur Lib. IV. cap. 4. sub fin. ubi Historicus loquitur de Tyro urbe, ipsumq; caput his obsignat verbis: *Multis ergo casibus defuncta (Tyrus) & post excidium renata, nunc tamen (alii legere malunt nunc tandem) longa pace cuncta refovente, sub tutela Romana mansuetudinis adquisicuit.* Alter continetur Lib. X. cap. 9. num. 3. & seqq. Proinde jure meritoq; populus Romanus salutem s^e Principi suo debere profitetur, cui noctis, quam pene supremam habuimus, novum fidus inluxit. Hujus hercule, non Solis ortus, lucem caligantⁱ reddidit mundo; qvum sine suo capite discordia membra trepidarent. Qvot ille tum extinxit facie? qvot condidit gladios? qvam tempora tempestatem subita serenitate discusit. Non ergo revirescit soliam, sed etiam floret imperium. Absit modo invidia, excipiet hujus seculi tempora ejusdem domus utinam perpetua, certè diuturna posteritas.

II.

Eqvidem de locorum horum, cum primis posterioris,
A sen-

senſu, fateor, parum convenit inter Criticos eminentiores. Alii enim per *novum fidus* intelligunt Augustum Cæfarem, quem Romanæ fidicen lyræ *Julium fidus* appellat Lib. I. Od. 12; adeoq; Curtium sub Augusto scripsisse autumant: ut Aldus Manutius, Hieron. Woltius, Joh. Jac. Friesius, Joh. Georg. Herwartus; sub Augusto & Tiberio, Joh. Maria Catænæus, Raderus, Pithœus, Bongarsius & Philippus Caroli. Alii *novum illud fidus* Claudiom esse volunt, de quo Seneca, *Sidus hoc, alt, semper luceat!* ac verba illa priora de nocte pene suprema, de C. Caligulae cæde, atq; hinc secuta confusione, explicant; ut J. Lipsius, Barnab. Brissonius, & Puteanus. Joh. If. Pontanus ita Curtii verba: *Non ergo revivescit solum, sed etiam floret imperium*, de Trajani temporibus vult intelligenda; idq; verbis Flori similibus comprobare nittitur, qvibus usus hic est circa præfationis suæ finem: *Sub Trajanoprinclipe senectus imperii, quasi redditæ juventute, revivescit.* Non nulli deniq; *novum fidus* accipiunt de Fl. Vespasiano Cæfare; ac priora Curtii verba referunt ad bella civilia, post Neronis cædem, (dum Imperator certus non erat) à Galba, Othone & Vitelio gesta; qvin illa etiam in priore loco à Curtio allata de longa pace cuncta resovente, Vespasiano melius aptari volunt qvam Trajano: sub Vespasiano enim, adjunt, longa pax erat: utpote qvi Templum Pacis prope forum exfruxit, & in cuius nummis legitur: **PACI ORBIS TERRARVM.** Insuper & palpationem istam Curtii de perpetua certè diurna posseitate, Vespasiano melius convenire dicunt, qvam Trajano. Hac in opinione versantur Jan. Rutgerius, Vossius, Boëclerus, Christoph. Arnoldus, Loccenius. Vid. Autorum horum plerorumq; diversis sententiis istis addictiorum verba & argumenta, apud Gerh. Joh. Vossium Lib. I. de Histor. Latin. cap. **XXIX.**, & Celeberr. Arnoldum nostrum in *Dissertat. Animadversionibus* Phil. Caroli Curianis præfixa, itemq; Freinsheim. in *Commentar. cap. I.*

III.

Etsi igitur Viri hi maximi laudatissimiq; discrepent qvident inter se de certi Principis ævo, qvo scripserit Curtius; omnes tamen, cum pluribus aliis illustribus elegantioris literaturæ Luminibus, in eo consentiunt, Rufum nostrum vixisse & scripsisse Historiam suam de Alexandro M. seculo post natum Salvatorem primo, h. e. iis temporibus (ut Popmæ verbis enunciem) *qvibus bona artes & studia literarum floruerunt*, sive, uti Puteanus loquitur, *evo optimo atq; eruditissimo, aut certè illi proximo:* eumq; adeo, qvos novi omnes, qvi de Linguae Latinae Ætatis scripserunt, ob styli elegantiam ad Romanum filum probò formatam, inter Scriptores Romanos *argenteæ etatis*, aut qvi Latinam Lingvam tanquam vivum qvoddam ac spirans humanæ vitæ simulacrum intuentur, ad *virile robur*, referre nulli dubitant: ut Jul. Cæs. Scaliger, Gerh. Joh. Vossius, Gasp. Scioppius, rigidus ille Latinitatis satelles, (cujus verba in Consultationibus suis hæc sunt: *Hujus, puta argenteæ de qua loquitur, etatis est Curtius, sed prope aurea dignior*) Jac. Maenius, Ol. Borrichius, & alii, qvos secutus sum in Theatri mei Eloquentiae Seçt. I. Cap. 3. Solus, qvod sciam, Obertus Gifanius, ad declinantem paullatim Lat. Lingvæ ætatem Historicum nostrum refert; in eadem tamen classe collocat, qva collocavit Plinios, Tacitum, Florum, Svetonium; nostrumq; his commendat verbis: *Q. Curtius, qui exposuit historiam Alexandri M., argutus, elegans & nervosus scriptor.*

IV.

Nempe enim, qvemadmodum cibi aliqui sunt, omnibus aut plerisq; mortalibus illice sapore grati, aliqui ingrati ac parientes nauseam; ita Criticos ac Philologis piperati pectoris, Scriptores, cum primis veteres, ratione styli distinguuntur: & Curtii adhuc stylus, si non omnibus, certè plerisq; tam jucundè sapuit, sapitq; hodie, ut auctorem hunc feculi

post N.C. primi, qvo Romana lingua multum adhuc floruit, felicitate dignissimum judicent, eumq; in illis numerent, qvi, ut Tullius loquitur, *in scribendo rationem tanquam obrusam adhibuerunt*, ejusdemq; auctoritate, ubi de vobis & phrasium Latinarum valore ac puritate agitur, veluti Lydio utantur lapide. Qvorum Sapientissimorum Virorum (per qvos intelligo Vallas, Linacros, Erafmos, Budaeos, Scaligeros, Muretos, Turnebos, Stephanos, Lambinos, Gruteros, Lipsios, Puteanos, Casaubonos, Vossios, Giphanios, Piccartos, Go-cle-nios, Boecleros, Buchneros, Scioppios, Prafchios, Bosios, Borrichios, Arnoldos, Vorstios, & longe plures religioso venerandos silentio) consentiens & amissitatum judicium contemnere, ne censuram mereatur haud ferendæ arrogantie, valde vereor.

V.

Illud maximè mirari licet, Nobilissimum Diligentissimumq; *Caf. Barthium* in Adversario. Lib. LIV. cap. 7. scribere non vereri: *Ævum Curtii fortè non tam vetus est, quam censem etiam subactissimi judicii homines, si nos alibi prolixius opinatur sumus.* Hanc verò opinionem suam, nisi fallor, prolixius diducit in Animadversionibus suis ad Claudianum pag. 1164 & 1165; ubi ad locum illum Curtii Lib. X. cap. 9, *Proinde jure meritoq; - diurna posteritas; hæc commentatur: Variò distrahunt Eruditissimi Viri hæc verba, ut Curtii atatem ex iis hauriant. Ut cung. autem concludendum arbitrentur, ego Curtium cum toto flore eloquentia sue non multò antiquorem Claudiano nostro arbitror, utpote cuius dictio declamatorium acumen ad Panegyristarum affectiones jam dum inclinet &c.* Equidem nolim nunc in laudes excurrere amplissimas (vid. Cap. II. Commentar. Freinshem.) qvibus Stylum Curtii nitidum, tersum, elegantem ornârunt doctissimi ac summi undiq; Viri, (qvorum complures, si ad Latinè scribendi studium in primis respexerim, haud aëstimem Barthio inferiores) easq; denso congeitas agmine uni opponere Barthii præjudicio; hoc tantum quero, qvi fiat, si *Curtiana dictio declamatorium acumen, ut loquitur, ad Panegyristarum affectiones adeo inclinat, ac prout Lib. XXVII Adverfar. cap. XV. pag. 1302, similem pene in modum scribit, si floridas Curtiana declamatoria affectui*

omnium

omnium eo eloquentiae magistro antiquior est Curtius. Mes quis audiens, hæc verba (ex Lib. 10. Curtii: Proinde jure meritoq. Pop. Romanus salutem se principi suo debere profitetur &c) de Theodosio exaudiet. Novum enim fidus novam domum innuit; duo filii firmatatem ejus: at antiquum jam imperium, imò pene exoletum, verba illa, non ergo revivescit solum, sed etiam floret &c.

VI.

Verum enim verò nolo hic magno Barthio, velut mortuo leoni, barbam vellicare: id tantum Beati cum Viri pace monere liceat, qvod jam olim monuit Lipsius, qvomodo hæc de Theodosio opinio cum geminis illis Curtii locis conciliari possit? In qvorum priore dicitur: *Tyrus nunc, longa pace cuncta refovente, sub tutela Romana mansuetudinis adqviescit.* Et in postiore: *Non ergo revivescit solum, sed & floret imperium; cum fanè & ante Theodosium, & imperante ipso, bella gravissima gesta fuerint non solum externa cum Gothis, sed & civilia cum Maximo & Eugenio tyrannis; ut ita non reviruerit tunc ac floruerit adeo imperium, longaq; pax cuncta minimè refoverit.* Insuper haud magni ponderis argumenta sunt reliqua, qvibus sententiam suam de ævo Theodosiano stabilire conatur Eruditissimus Barthius; ut qvando scribit: *Ego Curtium cum toto flore eloquentia sue non multò antiquorem Claudiano arbitror, utpote cuius dictio declamatorium acumen ad Panegyristarum affectiones jam dum inclinet &c.* Equidem nolim nunc in laudes excurrere amplissimas (vid. Cap. II. Commentar. Freinshem.) qvibus Stylum Curtii nitidum, tersum, elegantem ornârunt doctissimi ac summi undiq; Viri, (qvorum complures, si ad Latinè scribendi studium in primis respexerim, haud aëstimem Barthio inferiores) easq; denso congeitas agmine uni opponere Barthii præjudicio; hoc tantum quero, qvi fiat, si *Curtiana dictio declamatorium acumen, ut loquitur, ad Panegyristarum affectiones adeo inclinat, ac prout Lib. XXVII Adverfar. cap. XV. pag. 1302, similem pene in modum scribit, si floridas Curtiana declamatoria affectui*

A 3

ab-

obnoxia magis est, quam summorum auctorum auctoritas ferat: qvā fiat, inqyam, cur ipsius Curtii auctoritate in iisdem Adversariis suis toties utatur Barthius ad probandam plurimorum verborū ac dictiōnum elegantiam ac Latinitatem, principibusq; ac probatissimis auctoribus Curtium sociare nullus erubescat? Ita namq; legitur e. g. Lib. II cap. XI Adversar. pag. 72: *Agmen præcipue in itinere est, omnibus verè Latinis Scriptoribus universum exercitum designat.* Multoties ita *Livius, Curtius, Salustius*, nemo non deniq; melioris nota. Lib. XII cap. X pag. 685: *Molnīcum grandi conatu movere aliquid significat. Virgilius: Fulmina molitur dextrā.* Curtius Lib. VI: *Clausum aditum domus moliebatur qvinqaginta juvenum promississimi stipatus.* Lib. XXV cap. XIV pag. 1244: *Ita & majorum gentium Scriptores: Curtius Lib. IV: Si saniora confusa tandem &c.* Adhacq; quanti momenti est illud, qvōd Barthius dicat in loc. ad Claudianum citato: *Certè tam veterem esse Curtium, qvām volunt pleriq;, minimè credidero, cùm tot Grammaticorum nemo ullus ejus mentionem faciat.* Evidem verum est hoc, Grammaticos veteres, in primis illos, qvos edidit Helias Putchius, Curtii nostri, qvod sicut, nusquam facere mentionem: sed nec mentionem illi faciunt Taciti, Justini, ac plurimum; ergò neq; hitam erunt vetusti, qvām volunt pleriq;.

VII.

Pergit Barthius: *Et quæfrons Quintiliano fuerit inter Historicos istum non referenti, si ante eum vixisset?* Sed r. Quintilianus in cap. illo I. Lib. X. Institut. à vivorum laudatione abstinuit; qvod ibidem disertim docent hæc ejus verba: *Habebunt, qui post nos de Oratoribus scribent, magnam eos, qui nunc vigent, materiam verè laudandi.* Sunt enim summa hodie, qvibus illustratur forum, ingenia. Et postquam aliquor anteal laudaverat Poëtas, addit: *Sunt clari hodie quoq;, & qui olim nominabuntur.* Planè ad mentem nostram i. πάντα Boëclerus in Dissert. de Eloq. Politici Part. poster. th. LVII de Tacito scribit: *Commendatus*

est

effet procul dubio elegantissime, etiam à Fabio Quintiliano, tum inter oratores, tum in historia: nisi virum memoria seculorum dignissimum, posteris laudandum, ex instituto sui operis, in quo vivorum predicatione abstinuit, relinqvere statuisset. Jam verò ex opinione Virorum Celebratissimorum, qvi textum illum Rufi nostri Lib. X. de Vespasiano accipiunt, Curtius utiq; æqualis esse potuit Quintiliani; ac proinde in Tabb. etiam Chronologis Schraderi τέ πληρωθεός Sec. I. post N. C. circa Vespasiani tempora, Curtium immediate seqvitur Quintilianus; & Auctor Dialogi illius de Caussis Corruptæ Eloquentie (qui à multis Quintiliano adscribi solet, recte an fecus? ipsi quidem disquisiverint:) temporibus sanè vixit Vespasiani, ut de se scriptor idem ibidem testatur.

IX.

Magis verò crepera ac nova planè, nisi me omnia falunt, sententia est, qvam propugnare non ita pridem ausus est Vir qvidam Clarissimus, alibi potius, qvām hac parte, qva ab eo cogimur dissentire, nominandus. Is in Dissertationis suæ de Q. Curtio R. th. XII. hæc habet: *Prorsus ergo cum Capp. Barthio nobilissimo &qvè ac eruditissimo Viro statuendum fuerit, & cum Curtii non tam vetus esse qvām censem etiam subactissimi judicizii homines, qui potius pro suppositio recentioris cujuspiam scriptoris fætu habendam Alexandri M. historiam, qvī post renatas literas, felici veterum imitatione eximiam scribendi facultatem adeptus, opus hocce suum Romano sub nomine prodire voluerit.* Qvamvis verò qvemlibet facile patiar suo abundare sensu, neq; temerario contradicendi studio flagraverim unqvam; liceat tamen bona cum Honoratissimi Viri gratia hanc paulisper trutnari opinionem, solo ex amore indagandi Veri, ac perspicendi ergo, num jure an injury Q. Curtii Rufi ætas, & consequenter auctoritas Latinitasq; studiosæ elegantiorum literarum juventutis adeò suspecta reddi possit ac debeat?

IX. Qvam

Qvam sententiam de Curtii ætate tueatur, & qvibus eam argumentis corroboret *Barthius*, vidimus; nobisq; persuadeamus, de eodem verba thes. istius XII priora tantum accipienda esse, non itidem posteriora. Vbi namq; *Barthius Q. Curtii* historiam de Alexandro M. post renatas demum literas scriptam afferuerit, me certè fugit; nisi fortasse in Scriptorum duoborum Catalogo, qvi tamen, ut opinor, nondum prodiit. Author itaq; Dissertationis novæ Clarissimus in ea solus versatur opinione, *Q. Curtii Historiam* de Alexandro M. pro suppositio recentioris cujuspiam Scriptoris fœtu habendam esse, qvi post renatas literas (h. e. seculo post N. C. decimo quarto vel potius decimo quinto, his enim seculis respirâstis litteras elegantiore & è tenebris suis iterum emeruisse novimus) opus hocce suum Romano sub nomine prodire voluerit.

Ad hanc suam in aliorum quoque animos insinuandam sententiam, sub initium Dissertationis, quatuor producit Vir Clarissimus *Curtii* nomine in Veterum Autorum monumentis insigere; qvorum unius apud Ciceronem, alterius apud Juvenalem, tertii apud Svetonium, quarti apud Eusebium, mentio fiat; ac nullum tamen ex his quatuor esse, cui scriptio Historia de rebus Alexandri M. jure attribui queat, jam pridem à Viris Doctissimis evictum esse, scribit. At enimvero de Curtio, cuius meminit Cicero Lib. 3. ad Q. Fratrem Epist. 2. itemque de Curtio Juvenalis Sat. XI. (qui planè non est *Q. Curtius Rufus*, sed *Curtius Montanus*, de quo idem Juvenalis Sat. IV. & Tacit. Lib. IV. Histor. c. 40 & 42,) nec non de Curtio Salasso apud Eusebium, alii widerint; nobis certè ipsi perquam videtur probabile, nullum ex his tribus nostrum fuisse Curtium. An vero à Viris Doctissimis jam pridem evictum sit, *Q. illum Curtium Rufum*, de quo in Rhetorum Illustrum Vitis egit Svetonius, alium esse quam Historicum nostrum, id nondum liquet.

De *Curtio* hoc Svetoniano res ita habet: Deprehendit Achilles Statius, multum deesse Libello Svetonii de Claris Rhetoribus hodie extantib; & qvòd in Catalogo sive Indice, sub initium duorum MSS. Codicū, præter Rhetores istos, qvorum in fragmento Tranquillimentio fit, hi quoq; undecim legantur: L. Cæstius Pius, M. Porcius Latro, *Q. Curtius Rufus*, L. Valerius Primanus, Virgilius Flavus, L. Statius Vrfulus, P. Clodius Qvirinali, M. Antonius Liberalis, Sextus Julius Gabinianus, M. Fabius Qvinetilianus, Tullius Tiro. Qvā in enumeratione jungitur *Q. Curtius Rufus* cum L. Statio Vrfulo & P. Clodio Qvirinali, qvi sub Claudio & Nerone viguerunt, & cum M. Fabio Qvinetiliiano, illo procul dubio, qvi Oratorias Institutiones reliquit, ac teste S. Hieronymo in Chronico, à Galba Romanam deductus est, & floruit sub Vespasiano. Unde potius Viri plures Doctissimi Svetonianum huncce Curtium valde probabiliter conjiciunt fuisse Historicum nostrum. E qvibus nunc tantum adducam Casaubonum, qvi in Animadversionibus ad Svetonii Indicem Excellentium Rhetorum, ubi nominatur *Q. Curtius Rufus*, ita scribit: *Hunc illum esse, cuius historia rerum Alexandri elegantissime scripta in doctissimis viris versatur, pene assentior Viris eruditissimis etiam antiquis.* In eandem sententiam inclinant pariter Gerh. Jo. Vossius & Christoph. Arnoldus: qvorum ille Lib. I. de Hist. Lat. c. 28, postquam nonnulla protulit de *Q. illo Curtio Rufo*, de quo in Rhetorum Illustrum Vitis egit Svetonius, concludit tandem: *Rhetore sane illustri, dignissima hac historia est. Vsq; adeo auctor is verborum est eligens, nec perspicue minus quam terse scribit; acutus etiam est in sententiis, inq; orationibus mirè disertus. In eo vel Augusteo aeo digna est dictio; vel proximè abit.*

Deinde mirari subit, cur præter quatuor istos Curtios non produxerit etiam Vir Clarissimus *Q. illum Curtium*, cuius men-

mentio fit apud Corn. Tacitum Lib. XI. Annal. capp. 20 & 21, & Plin. Jun. Lib. VII. Epist. 27 ad Suram; ad quam Epist. ita commentatur Joh. Maria Catanæus p. m. 442: *Lego in fide digno exemplari, historiam de gestis Alexandri compositam à Q. Curtio Rufe, qui inibi fatetur se fuisse sub Augusto, & Tiberio, & sub Vespasiano, quantum conjectura aſſequi possumus.* Sic & Philippus Caroli Animadvers. I ad Lib. I Curtii, testimonia C. Taciti, Svetonii & Plini Nep. de Curtio nostro accipit; quemadmodum & Barnab. Briffoni, Popma, Loccenius, Arnoldus, insignes Philologi, ifstum Svetonii, Taciti & Plini Curtium unum eundemque fuisse putant. Vbi forte regerat aliquis: Ohedum, boni viri, quid aitis? Vosne Curtium ad Tiberium & Vespasianum referatis, Cæsares tanto intervallo fejuntos? At vero tantum id non est intervallum. Ab ultimo enim Tiberii anno usq; ad Fl. Vespasiani primordia regni, numerantur anni duo & triginta, ita ut sub Vespasiano jam senex Historiam suam scribere potuerit Curtius, præsertim cum Tacitus Curtio suo longam post Tiberii tempora senectam expressè tribuat in cit. cap. 21 Lib. XI. Annal.

XIII.

Objicis ex Thes. X Dissertationis Novæ: *Locus ille Curtii Lib. X cap. 23* (legendum: cap. 9) in diversas pugnantes q̄ sententias, haud incerto faſtatis argumento, diffrabitur; adeoq; verba illa hanc præcipue ob causam inserta esse quis crediderit, ut autoritas aliqua scriptori recentiori conciliaretur. Non sequitur: Locus hic varie à variis explicatur; E. certò falsus est, aut suppositius. Sufficit, Philologos excellentiores, quantum memoria teneo, omnes, præter Barthium, eum de diversis quidem Imperatoribus, attamen de hoc vel illo Imperatore seculi post N. C. primi, intellecū velle; qvō ipsō auctoritati & antiquitatī Curtianæ haud leve accedit pondus. Neg; verò illud sequitur: Locum isthunc Curtii diversè diversi interpretantur; E. vel Auctor ipse, utpote scriptor recentior,

vel

vel alius quispiam hæc verba inserens, impostorem egit, ac vetustatis specie, per Romani imperii mentionem, imponere voluit posteritati. Hæc si procederet conseqventia, siq; locum quemvis anticipem suspicione tali adspargere liceret, laboraret hercle multum fides historicā, ac plurima de scriptoribus antiquis testimonia suspecta fierent maximè. Meliora quæſo! de ipso Curtio, utpote scriptore *candido, lacteo ac minimè fucato*, (qyibus elogis illum ornant Ludov. Vives, Barthol. Merula, Popma, Lipsius, Puteanus, Loccenius,) dignoq; proſsus, cuius fama sincera seruetur ac inviolata! Ecquid verò, si Historiam hanc Alexandrinam post renatas demum literas concinnatam existimaveris, ad illum Curtii locum dixeris Lib. IV. c. 4: *Tyrus nunc, longa pace cuncta reſovente, sub tutela manus vetudinis Romanae adqviescit*? cùm Tyrus diu ante renatas literas, nempe anno Hegiræ 518, sive A. C. 1124, in Saracenorum potestatem jam devenerit. Vid. Calvis. ad Annum dictum. Sed prævideo responsum: Nempe & illa verba inserta sunt, ut auſtoritas aliqua Scriptori recentiori conciliaretur!

XIV.

Age verò excutiamus nunc palmarium, ut videtur, Viri Clarissimi argumentum. Interea verò verius est, inquit th. XI, *ante seculum à C. N. quintum decimum, neminem omnium reportum eſſe, qui vel per transennam, Curtii Historici, scriptare ab illo His‐torie mentionem injecſet: quin etiam neminem in hunc usq; diem quicquam apud veterem aliquem Autorem reperire ex Curtio citatum, diligentissimus Curtii Commentator Freinsheimius insitum Commentarius quām rectissime afferuit.* Inth. porrò XXV & XXVI dicitur, *primum fuisse Job. Tortelium Aretinum*, qvi aliquot locis auctoritate Curtii fuerit usus in Libro suo de Orthographia, Venetiis A. C. 1495 impresso. Enimverò, ut de *Tortelio* hoc pauca monere liceat, ite quidem ejusdem liber anno demum 1495, mox iterum A. 1496 impressus est; claruit tamen ipſe Tortelius anno jam 1420, secundum Conrad. Gesnerum in

Bibliotheca; ut adeò minus vero videatur simile, Tortelium, virum pro iis temporibus bene doctum, & cui Laurent. Val-
la suos Elegantiarum Libros dicavit, si vel parùm suboluisset
ipsi, quod Curtius post renatas sive illo sive proximè antegres-
so seculo literas suam demum concinnaverit historiam, tam
musteum scriptorem, juxta cum Terentio, Virgilio, Horatio,
Justino, aliisq; antiquis ac probatis auctoribus, citatis in lo-
cis, allegasse, Curtiiq; auctoritate in re veteri Orthographica
toties uti voluisse. Sed neque vero verius est illud, ante secu-
lum à N. C. quintum decimum neminem omnium repertum esse, quia
vel per transennam Curtii historici mentionem injectisset: produ-
cemos enim Scriptores, qui hoc egerunt, non Tortelio tan-
tum, sed ipsa etiam literarum avazio sive renovatione, anti-
quiores.

XV.

Primus esto Joh. Sarisberiensis, Carnotensis Episcopus,
B. Thomae Cantuariensis discipulus, qui, secundum Baleum
& Rob. de Monte, obiit A.C. 1182, atq; in Pollicratico suo, sive
scripto de Nugis Curialium, Lib. VIII cap. XVIII, ubi de ty-
rannis eorumq; exitu agit, haec reliquit verba: *Quæ si quis di-
ligenter recenseri voluerit, legat ea, quæ Trogus Pompejus, Josephus,
Egesippus, Suetonius, Q. Curtius, Corn. Tacitus, T. Livius, alii hi-
storici, quos enumerare longum est, suis comprehenderunt historias.*
Vbi adeò inter celeberrima veterum Historiorum nomina no-
ster laudatur Curtius. Alter esto Philippus Galterus (alii scri-
bere malunt Galterus) Episcopus Insulanus, quem nonnulli,
inter quos ipse Barthius, Sarisberiensis æqualem autumant,
ali, ut Valerius Andreæ, ac Vossius de Poëtis Lat. pag. 74,
A. 1250 claruisse ferunt. Hic in Alexandreide, sive carmine
suo, quo Libris X (non IX, quod notandum adversus Vossium
loc. cit.) cecinit res gestas Alexandri M., Curtium no-
strum, planè secundum Historiae ordinem, & ad verbum,
quantum poterat, imitatus est. Regerit quidem Vir Clarissi-
mus ex hypothesi sua, Galterum hunc Belgam in Alexandreide

non

non tam voces Curtianas in versum redigisse, quam Curtium versus
ex isto Autore desertos Historia sue soluto sub orationis schemate
inseruisse; thes. 9. Sed haec dicuntur; unde vero proban-
tur? Ecquis emunctarum narium Philologus credat, Curtium
uberrimæ facundiæ ac prudentiæ Scriptorem, in quo
limpida ac florida omnia, coactum nihil, (et si, prout falso ta-
men putatur, post renatas demum literas suam condidisset his-
toriam) Galterum hunc imitandum sibi proposuisse, homi-
nem iis temporibus non adeò indoctum quidem, adhuc ta-
men barbarum, quem Alanus in Anti-Claudiano suo Ma-
rium, h. e. Poëtam malum, vocat illis versibus:

-- Priami fortunas intonat illic

Mervius, in vallis audens ostendere mutum,
Gesta ducis Macetum tenebrof carminis umbrâ
Pingere dum tentat, in primo limine fessus

Haret, & ignoravam queritur torpescere Musum.

Qvin contrarium potius nobiscum fentit Nobilissimus & à
Viro Clarissimo magni æstimatus Barthius, in Animadvers.
ad Claudianum pag. 1165, ita scribens: *Certè Curtio clemen-
tior Romano & vo barbaries ipsa fuerit, quæ media & densissima nomen
eius celebre fuit, ut verificator Galterus plurima exprefserit, facil. ex
Curtio, non Curtius ex Galtero.* Et in Adversar. Lib. II.
cap. XVI p. 2466, haec leguntur verba: *Geminus Mazai libe-
ros agnoscit Philippus Galterus, qui ipsa Curtie verba ponere amat*
Lib. V:

Ecce Vir illustris, stipatus prole gemella,
impiger occurrit Mazæus transfuga &c.

(Et si in vilo à me MSto Codice, cui titulus: *Historiarum re-
rumq; bellicarum Alexandri Magni Macedonis, Græcorum Regis, Li-
bri X Carmine heroico magnifice docte conscripsi, auctore Galtero
Castellensi; Poëta quondam Clarissimo, ad R. D. Gwillierum olim
Senonensem, postea vero Archiepiscopum in Galliæ Remensem &c. nec
non in typis exscripto exemplari, quod prodidit A. 1513 hoc*

B 3

titu-

titulo: *Alexandri Magni Regis Macedonum Vita*, per Gualtherum Episcopum Insulanum heraldo carmine elegantissime scripta, legatur: Ecce Vir illustris, stipatus prole beata &c)

Et pag. 2467 Adversari ubi verba Curtii de Babylone adducuntur, post paullo haec commentatur Barthius: Non de suis temporibus aut Alexandri, loquitur Curtius, sed de Semiramidis. Libet vero commendare prudentiam Philippi Galteri, qui descriptionem hanc celeberrima urbis (intellige apud Curtium) cum aseqüe versu deferaret, cautè admodum transit. Et sanè transit nonnulla Gualterus, quæ Curtius in Historia sua accuratiore multò diligentia, atq; uberiore interseruit facundia; ordinem tamen rerum gestarum, ut dixi, haud facile deseruit, & verba Historici, quantum metri ligamen concesserat, retinuit. Vnum alterumq; specimen, cum Poëta hic in paucissimorum versetur manibus, dare lubet, qvō rei dispalescat veritas. Evolvat quis e. g. ap. Curtium Lib. III cap. I. n. 14. & seqq. historiam de Nodo Gordio, his conceptam verbis: Alexander urbe in suam ditionem redacta, Jovis templum intrat. Vehiculum, quo Gordium Mide patrem vectum esse constabat, adspexit - - Oraculi fortunel clausi, vel clausi, vel amplevit. Haec versu ita expressit Gualterus Lib. II:

Hic Jovis in templo Mide patris alta coruscant
playstra, jugumq; vetus Asia fatigata. sed ejus
funibus inter se coeuntibus arce (MS. Cod. arte) latenti
complosusq; iterum. Spacio tempore nemo
vel reperere caput poterat, vel solvere nodos.
Certa fides urbis, ita dispossuisse tenacem
Fatorum seriem: qui vincula solveret, illum
regno totius Asia debere potiri.

Movit Alexandrum supplendifata cupido,
attollensq; jugum nexus dissolvere tentat,
luctatusq; brevi, cum se contendere frustra
aspicit, astante ne triste reverberet omen,

Quid

Quid refert inquit proceres, quæ scilicet arte
qvore modo tacite pateant anigmata fortis?

Dixit. Et arrepto nodos mucrone resolvit,
unde vel clausi fortunel, vel forte reclusit.

In cap. III Lib. ejusdem I. apud Curtium, num. 9 & seqq.
ubi Ordo agminis Persici his traditur verbis: Ordo antem agminis erat talis. Ignis, qvem ipsi sacrum & aeternum vocabant, argenteis altaris preserebatur. - Curram deinde Jovi sacratum alientes
vehabant equi & Gualterus Lib. eod. II:

Ignem qvem Persas sacrum eternumq; vocabant,
axibus auratis argentea præstatu aræ.

Alba Jovis currus series ducebatur equorum &c

Plura, imo Carmen universum, cum Historia Curtii longè
tamen ampliore, Lector impiger conferre, si velit, potest.

XVI.

Tertius, qui ante renatas literas Curtii mentionem injecit, ab ipso etiam Barthio producitur in Animadvers. suis ad Claudio pag. 1165, Jacobus de Cessolis, hisce verbis: Est apud nos scriptus liber Jacobi de Cessolis, Lombardi, de Ludo Schachiorum, qui primum Curtii Librum in testimonium citat. Vixit uero Jacobus annis ab hinc CCC. Liber iste de Ludo Schacchorum, sive de Moribus hominū. Officiisq; Nobilium, impressus postea est Mediolani A. 1467. Nihil jam dicamus de Vetus MS Stis Curtii Codicibus, qvorum novendecim solus commemorat Freinsheimius in Comment. sui cap. III. Hos Codices omnes, imo plures, post renatas demum literas, jamq; inventam seculo quinto lecimo Typographiam, descriptos, inq; varias Germaniae, Angliae, Italie bibliothecas translatos esse, quis probaverit, qvæ so, nobisq; firmiter persuaserit?

XVII.

Evidem Autorem Veterem, qui ex Q. Curtii scriptis
citaverit quidquam, producere, fateor, jam possim neminem; ipleq; Freinsheimius id in Commentar. cap. II. confir-
mat,

mat, neminem adhuc qvidqvam, apud veterem auctorem reperisse ex Curtio citatum. Verum dic sodes, quis hominum eruditorum de se jaſtare possit, qvōd, ſequendum verba Juvenalis,

*legerit hiftorias, auctores noverit omnes,
tanquam ungvos digitosq; ſuos?*

Imò ſi vel confeſſerim, in Scriptoribus Veteribus hodie-
num exſtantibus nihil ex Curtio citatum reperiri; qvot ta-
men Rei Graecæ & Romanæ Scriptores, qvot ex illis eti-
am, qvi res gestas Alexandri ſpecialiā pertexuerunt, fatto-
rum invidiā vel perierunt, vel laceri ad noſtras pervene-
runt manus, qvorum forſan unus & item alter potuit ex Cur-
tio qvidqvam allegaſſe? Qvin & laudandam imò lynceam
Freinſhemii & aliorum induſtriam, qvædām de Curtio teſti-
monia veterum hodieq; ſuperſtitum, poſſunt haſtenus effu-
giſſe, qvæ Tempus, ſi nondum invenit, olim forſitan inve-
niēt. B. Freinſhemius, qvām optimè qvidem de Curtio
noſtro promeritum, ut hominem tamen, non vidifſe ac per-
vidiſſe omnia, vel inde patet, qvōd Curtianas inter Editiones
cap. III. Commentar. ſui, Lugdunensem omiferit Jacobi Rouſ-
ſini A. C. 1604, cum duorum, qvi deſiderabantur, librorum
ſupplemento, & præfatione S. G. ad Johān. Paludanum ſcri-
pta An. 1594. Adhæc inter Scriptores Rerum Alexandri
cap. IV. præter M. Quaſichinum, (qvem ſolum reliquias ſuper-
addit Vir Clarissimus theſ. XXVII) ſilento etiam præterie-
rit Andracydem, Appianum Alexandrinum, Christoph. Roffinum,
Clementem, Apuleji familiarem, Heraclidem, rerum Alex. M.
Scriptorem à Plutarcho laudatum, pluresq; alios, de qvibus
vid. Reineſ. Epift. 38. ad Rupertum pag. 311 & ſeqq. iſumq;
Rupertum in Obſervat. ad Besoldi Synopſin pag. 178 & ſeqq.
Qvid? qvod ipſe Freinſhemius, nihil argumento hoc, à ſilen-
tio veterum defumto, abſterritus, in Præfatione ad Joach. Vi-
coſortium Eqv. editioni Curtianæ majori præfixa, aperte-

pro-

profitetur, Arrianum, Plutarchum, & auctōrum illorum, ē qvibus Sup-
plementum ſuum depromiſit, plerosq; poſt Curtium vixiſſe; inq; Not.
ad Locum illum Curtii Lib. X. c. 9, Historicum noſtrum ante Tra-
janum ſcripiſſe exiſtimat, & ex diversis eruditorum opinionibus il-
lam, qvæ Vespasiani temporibus eundem adſcribit, meliorem judicat.
Deniq; cūm

ſumma petat livor, perſtent altiſſima venti,
poſſunt fortaffe plures Scriptorum veterum qvafī de compaſſo con-
ſpirâſſe ad nitidiflimi Curtii famam nomenq; ſupprimendum; aut ob
paucitatem ac defectum Codicūm Curtianorū, Historiæ ejus de-
memiſiſſe. Corn. Taciti libros M. Claudius Tacitus Imperator de-
cies qvotannis deſcribi, inq; Bibliothecis publicis collocari juſſit, ne
perirent; & tamen ex Taciti ſcriptis, uti ſupra dicitum, Grammatici
veteres nil qvidqvam unqvam citarunt; ejusq; præter Plinium Jun.
coævum ac familiarem, vix totidem Scriptores veteres meminerunt,
qvot diuītis oſtia Nili.

XVIII.

Sed qvæcunq; tandem apud Veteres iſtius de Historia Curtiana
ſilentiuſ cauſa fuerit, ſufficiat, e Veteribus Corn. Tacitum, Plinium Jun.
& Svetonium Curtii iſpius memiſiſſe. Hunc enim ſive a tri-
bus illis ſimilis, ſive ab uno alteroq; ex hiſ tribus, laudatum Curtium,
Philologi insigniores, iī præſertim, qvi politiſſimum dicendi genus ac
purissimam Latinitatem certum ævi argumentum arbitrantur, pro
Auctore Historiæ Alexandre tamdiu, opinor, habere, eumq; inter
nobilissimos elegantiſſimosq; ſeculi poſt N. C. primi Scriptores nu-
merare poſſunt, qvamdiu pars adverſa evidentibus atq; invictis argu-
mentis probaverit negativam. Imò nobis hac faltem vice ſuffecerit,
ſatis luculentē oſtendiffe, Q. Curtii R. Historiam de Alexandro M.
ante renatas literas utiq; fuſſe conſcriptam; qvod primario erat de-
monſtrandum.

ADDITAMENTA.

I.

Non commiſit errorem Geographicum Curtius, (uti qvidem putat Vir Clariſſimus th. 2.4 Differ. ſua) quando Lib. V. cap. I. num. 15. de Tigri & Eu-
phrate verba faciens ſcribit: *Idem per Babyloniorum fines in Rubrum mare
prorumpunt.* Sumiſit enim Curtius in re Geographicā veriſatiſſimus To-
tum pro Parte. Sinus Perſicus eſt pars Maris Rubriſive Erythræi. Ita namq;
di-

(18. (

disertè Phil. Cluverius in Introduc. Geograph. Lib. I. cap. X §. 3, scribit: *Inde à meridie est Oceanus Indicus, quā Indos, Persas atq; Arabas Āethiopiasq; ab Oriente alluit. -- Quā Persidem tangit, Persicum mare: mox Arabicum, quā Arabiam ab Austro percuit. -- At totum hoc mare Indicum, quod Gangetius, Persici, Arabici & Afferi nominibus distinguitur, aliò nomine Mare Rubrum Latinis, Græci Erythraum dicuntur. Regè, & planè ad mentem Plinii, qvi Lib. VI. Hist. Nat. cap. 23 sub fin hæc habet: Regio vocatur Armuzia. Oppida Carmania, Zetis & Alexandria. Irrumpit deinde & in hac parte geminum mare terras, quod Rubrum dixerit nostri, Græci Erythraum, à Rego Erythra &c. Et statim circa initium Cap. 24: Sed in duos dividitur Si- nus: (sc. Marc Rubrum) Is, qvi ab Oriente est, Persicus appellatur &c. Vid. etiam J. Lipsius de Magnitud. Rom. Lib. I. cap. 3. p. m. 19. 20.*

II.

Ad Th. XXIX. Dissert. Viri Cl. seqq. notentur: *Qvam ob cauſam à Jo. Henr. Boeclero in Commentatione pofthumâ de Scriptoribus Græcis & Latinis judicium de Q. Curtio Rufo sit omisſum, facile est hariolari. Boeclerus enim ibidem (1) ex instituti sui ratione, percentsendos sibi tantum sumſit Græcos Latinosq; Scriptores, corundemq; potiora scripta, qvæ exſtant; nec de omnibus ſuum promere voluit judicium, qvod nec fecit in mentione Epicteti, Velleji Paterculi, Asconii Pediani, Seneca, Tragici, Solini, ibid. pag. 54 & 55, ante & post Curtium allegatorum. (2) Alibi jam Celebratissimus Boeclerus ample elatèq; ſuum de Curtio judicium protulit, ut hic non opus fuerit actum agere. Vid. Dissertatio Ejus de Eloq. Politici, ubi in Part. II §. LI ait: *Inter Historicos ſane à nemine ſibi plus adjumentum potest promittere Eloquenteria Politica, qvam à Livio & Curtio. Sic ut enim posterior Livio Curtius; Vespafiani demum ayo, uti videtur, vixit: ita optimi avi ſcriptoribus agrari, & fortasse omnibus Historiis quodammodo anteferrit potest. Magnificenter Livii, Sallustii gravior, Taciti profundior oratio. Curtii hu- omnibus ſavior, teſtor, accuratior eſt. Qvod in morib⁹ Livi tribuit Fabine, multò magis Curtio convenit. Elecliflma ejus verba; civiles & aptæ ſententia: expofito mirifica conciones expedita facundia inſtructa &c. Vid. ibid. etiam §. LII & LIII. Et in MSO Historiæ Vnivers. à Chriſto nato per ſecula Syntagmate A. 1659, hæc tradidit idem immortalis Vir memoriae: Curtium Vespafiani ayo vendicat Rutgerius in aureo & illuſtri Variarum Lectio- num Operे. -- Autor eſt delicioſiflmuſ, qvi plati aurum iudicio ſatis ſacere vult, & in eo Livio ſuperior. Concidit qvogz judicium Lipsi, qvi putat eum mil- tariū tantum prudenter laude eximium eſſe, quem tamen certum eſt omnia aule mysteria tradere. &c.**

((o) (

D I S P U T A T I O N E M
C I R C U V L A R E M
de
CORN. NEPOTE,
S V B P R A E S I D I O
DAN. GVIL. MOLLERI,
Histor. & Metaphys.
P. P.
pro viribus defendere annitetur
JOH. FRIDERICVS RVNCKEL,
Nidda - Hassius,
Altdorf. Kal. Xbris, A. 1683.
H. L. Q. C.

Literis HENRICI MEYERI, Vniversit. Typographi.